



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

NY

KIRKEHISTORISKE SAMLINGER

UDGIVNE AF

SELSKABET FOR DANMARKS KIRKEHISTORIE

VED

HOLGER FR. RØRDAM.

DR. PHIL., PRÆST.

FEMTE BIND.

KJØBENHAVN.

I KOMMISSION HOS G. E. C. GAD.

THIELES BOGTRYKKERI.

1869—71.

Breve fra Professor Johannes Stephanus til Biskop Mogens Madsen i Lund.

Ved Holger Fr. Rørdam.

Til alle Tider ville Breve vexlede mellem Mænd, der have indtaget en mere fremragende Stilling i Samfundet være en vigtig historisk Kilde; thi meget kommer frem i den private Meddelelse, som skjuler sig for Offentligheden. Dette gjælder ikke mindst den ældre Tid, hvor de Efterretninger, som Dagbladene nu pleje at give om Forhold og Begivenheder, manglede, og hvor derfor private Meddelelser, der vare bestemte til at oplyse om forefaldne mærkelige Begivenheder, vare omstændeligere, end de nu pleje at være. De efterfølgende Breve, der ere fra Aarene 1602—8, indeholde især Oplysninger om tvende kirkelige Forhold, som ere af megen Interesse, nemlig Katholikernes Forsøg paa at vinde Fodfæste her i Landet og Forhandlingerne om Exorcismens Afskaffelse. Desuden indeholde de Efterretninger om forskellige Forhold af en mere privat Karakter, og da navnlig den fortjente Biskop Mogens Madsens litterære Virksomhed.

Forfatteren af disse Breve, Professor Hans Steffensen (eller Johannes Stephanus), var født 1561 paa Laaland, han blev Student 1579. I Aarene 1582—4 var han Tyge Brahes Lærling og Medhjælper paa Hven, siden rejste han formodentlig udenlands. 1588 blev han Rektor ved Sorø Skole. Efter i en Række Aar med Dygtighed og Kraft at have forestaaet dette Embede, blev han 1597 Professor i

Dialektik ved Universitetet; Aaret efter ægtede han en Datter af Biskop Peder Jensen Vinstrup. Til sin Svigerfader stod han i meget fortroligt Forhold og var ham i flere Maader til Hjælp og Støtte i hans bispelige Embedsvirksomhed. Mangfoldige af Biskoppens Embedsskrivelser, ja endog private Breve — undertiden angaaende vanskelige og delikate Spørgsmaal — ere forfattede af Stephanus, som villig laante Biskoppen sin øvede Pen¹⁾. Dette Forhold vedblev, efterat Stephanus's første Hustru, Anna Vinstrup, var død (i November 1601), og han havde giftet sig paany. Det er urigtigt, naar man har antaget, at der var en væsentlig Uoverensstemmelse mellem Biskop Vinstrup og Stephanus i Spørgsmaalet om Exorcismens Afskaffelse ved Daaben; thi naar Biskoppen ikke gik saa vidt som sin Svigersøn i Forkastelsen af denne Kirkeskik, saa var det ikke af dogmatiske Grunde, men udelukkende af Klogskabshensyn, forat den pludselige Afskaffelse af denne Skik ikke skulde vække Forargelse i Menighederne, og for ikke at bryde med sine Kolleger i det theologiske Fakultet. At Forholdet har været dette, fremgaar bedst deraf, at det Brev fra Vinstrup til Biskop Jakob Jensen Holm i Aalborg, som man har beraabt sig paa, er forfattet af — Stephanus, som dennes Brevbog uimodsigeligt godtgjør. Det kan neppe være tvivlsomt, at Stephanus idethele har tilhørt Hemmingssens eller den kryptokalvinistiske Retning i Theologien, og det var vel ogsaa Grunden til, at han ikke blev theologisk Professor 1607, da D. Jørgen Dybvad blev afsat. Som en meget klog Mand forstod han imidlertid at undgaa alle Blottelser, og 1608 beskikkedes han til den anseelige Post som Forstander for Sorø. Han styrede Stiftelsen med Kraft og Myndighed, men gjorde sig ikke sønderlig godt lidt. Da Christian IV 1623 oprettede Sorø Akademi, i Spidsen for hvilket der blev sat en adelig Hofmester, saa blev den tidligere Forstanderpost inddragen. Stephanus

¹⁾ Jfr. foran S. 164—66.

aflagdes med tvende Kanonikater i Roskilde og Ribe, og udnævntes 1624 efter Klavs Lyskanders Død til kongelig Historieskriver. Han var imidlertid dengang allerede en Mand, der var højt oppe i Aarene, og skjønt han ganske vist var en flittig og nøjagtig Samler, var det dog ikke rimeligt, at han skulde kunne udrette, hvad hans yngre Forgjængere ikke havde formaaet. Da han allerede døde i Roskilde den 12te Februar 1625, saa var Tiden, der blev forundt ham i Historieskriverembedet, desuden for kort, til at han i den kunde faa noget større Arbejde færdigt. Hvad han havde samlet kom dog senere hans begavede og dygtige Søn, Steffen Hansen Stephanus — Saxos berømte Udgiver — tilgode.

De her meddelte Breve ere afskrevne af Joh. Stephanus's originale Konzeptbog i Kallske Saml. 512. 4to.

1.

Ad Magistrum Magnum, Episcopum Lundensem, Soceri nomine.

Salutem corporis et animi sempiternam ab eo, quem scimus et credimus opem afferre rebus nostris afflictis, cum videtur, et velle et posse, non solum desideratam, sed et spe nostra ac expectatione majorem. Quod tam libere et peramanter mecum communicas, Rev. Dn. Episcopo, Frater et Amice colendissime, et in meum, uti scribis, sinum effundis partem justissimi doloris tui, concepti tum ex pia quadam commiseratione erga publicum statum multis modis apud vos æque ac passim alibi calamitosissimum, tum privatim ex tuorum immaturo obitu, quorum diuturnior vita tibi, in illa tua viduitate atque ingravescente ætate, et voluptati et solatio, nisi Deo secus visum fuisset, esse potuisset: facis equidem pro tuo candore et ea de me persuasionem, qua statuis haud dubie, me tui benevolentia quadam ad tibi condolendum permoveri. Et sane non possum non ego vehementer itidem affici, cum sæpe cogito, quanta sit annis his proximis facta rerum omnium conversio et vicis-

situdo in hoc Regno quondam florentissimo; Divina indignatione pœnas commeritas a nobis reposita, et scelera nostra ac flagitia juste vindicante, adeo ut absque doctrinæ cœlestis esset puritate et sincera religione, haud scio, an quicquam videri possit apud nos ad summam miseriam desiderari. Tum præterea meum animum haud leviter excruciat cum mea ipsius, tum amicorum mala domestica. Amisi etiam ego superiori anno in Januario filiolum unicum Joannem, ex hac conjugæ primogenitum, ac mox in Februario filiam Catharinam, 15 annorum virginem, tum post mediocri temporis intervallo, videlicet in Novembri, filiam alteram Annam, nuptam Stephanio nostro, cui filium genuit adhuc Dei beneficio superstitem. Hæc tamen omnia sunt nobis æquo animo, ac præsertim non casu aut temere, sed certo Dei consilio contingentia, perferenda, et indubitata melioris conditionis aliquando secururæ spe superanda.

De publicis precibus ad Deum pro impetranda venia peccatorum et pœnarum mitigatione vel nunc maxime si unquam antea fundendis, idem tecum sentio, nec desinam illos interpellare, penes quos est solos eas curare soleniter indicendas, et spero me tandem aliquid effecturum. Interim valde probo institutum illud Ecclesiarum in Tua Diœcesi, nec dubito, quin piorum hominum conjuncta vota suum apud Clementissimum Deum propter Christum mediatorem sint aliquando pondus habitura.

Venio nunc ad id, quod postremum erat in tuis literis, quodque mihi justam præbuit indignandi occasionem, idque eo magis, quod sciam ipse et subinde cogar vel invitatus experiri, quam nimis vere istud queraris de eximia quorundam ἀμαθία simul et ἀναιδεία, qui sese studiosorum nomine in vulgus venditantes, nihil minus esse reipsa deprehenduntur, quique in Academia degentes, sua plus quam supina negligentia ac secordia, et sibi ipsis imponunt, et spem Præceptorum atque opinionem turpiter fallunt, et nobis tandem fucum facere conantur, idque potissimum eorum præsidio freti, qui propter generis quandam claritatem,

gratia quoque et autoritate, se quidvis posse debere et putant ipsi et credi ab aliis volunt. Illos ego plane censeo a sacro Euangelii Ministerio arcendos, veluti a sancto canes et porcos a margaritis. Et quoties mihi offeruntur, ad studia remitto, ut tales aliquando fieri laborent, quales haberi velint, nec existiment se prius ad munus docendi in Ecclesia admittendos, quam secum afferant mediocrem doctrinæ suppellectilem, qua instructi possint cum fructu gregi Christi præesse, et sacri officii partes, ea qua decet fide ac sedulitate, obire. Qua de re ad amplissimum Academicæ Senatam imprimis referendum curabo, ut habita deliberatione remedium aliquod inveniatur, et rei Ecclesiasticæ melius in posterum consulatur. Atque hæc sunt, quæ pro temporis angustia ad literas tuas tibi censui respondenda (etc.). Hafniæ, . . Septembr. 1602.

T. T.

P. J. W(instrupius).

2.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Quam diu nobis auditione solum et fama, clarissime vir, fautor et amice honorande, cognitum fuit nomen Jesuitarum, non magis erat mihi formidabile, quam Franciscanorum aut aliorum Papæ sectatorum, a quorum vitæ institutis et religionis dogmatis nihil videbatur periculi hisce Regnis extimescendum. At vero postquam ista factio non solum multiplicari et inclarescere cæpit, sed paulatim serpendo ita late sese diffundere et propagare, ut jam non uspiam in angulis mundi hinc procul remotis contenta lateret, sed variis regnis et provinciis occupatis et peragratis ad nos usque progressa sit, idque tam prope, ut illius diabolicæ latrinæ foetorem omnes percipiamus, et multi quotidie atque utinam non nimis ex nostratibus multi astute et latenter sparsum ac disseminatum per illos emissarios doctrinæ pontificiæ (novo luto sed non macerato, ut quidam ait, incrustatæ) virus liberæ ac liberalis in Ecclesia institu-

tionis melle conditum hauriant, imbibant, aliis propinent: fateor equidem me sic postea semper ad nomen Jesvitarum cohorrescere valde, ut et verear, quorsum ista evadat propinquitas, et optem aliquem esse et magna cum indignatione mirer, iam hactenus non esse, qui clandestinis illorum machinationibus remedium opponat, et vera activa ratione adhibita, maleficos eorum conatus, qui operâ suâ velut vicariâ illam pestem huic Regno attrahere satagunt, coerceat atque compescat; et sæpe in illud erumpo:

Exoriare aliquis, nostris qui finibus istam

Tam diram avertas tandem, Christo auspice, pestem.

Cumque eadem de re subinde cogito: Ecce mihi recens abs te offertur doctissima tua oratio de secta Jesvítica scripta et habita, quam cum summa voluptate vidi primum, deinde legi et relegi, et, nisi sit quod obstat, vehementer cuperem publici juris esse factam, ut ex hoc seu gustu perciperent illi turbandis sacris et prophanis nati, esse in hoc Regno, qui artes et imposturas Jesvíticas norint ac detestentur, quique facile possint, cum volent, iis detegendis ac profligandis utilem operam suam impendere, sintque omnino, si necessitas aliqua flagitarit, in eam rem studium omne suum et industriam collaturi. Qua de re pervelim te cogitare, ad eamque perficiendam (si requiratur) curationis meæ diligentiam et laborem tibi promptissima voluntate polliceor et defero. Neque est, quod expectare velis, donec totum illud *τεσσαραδέκαδος* corpus in lucem exeat. Poterit enim tum quoque hæc oratio cæteris adjungi, ut nihil ad operis illius, secundum seriem annorum digesti, perfectionem desideretur. — De nupero hospitio et hospitalitatis eximiæ officii, mihi et collegæ meo præstitis, ingentes agimus gratias. Quos mihi commendasti juvenes, Scholæ vestræ alumnos, ii faxo intelligant, si hęc aliquando sunt commoraturi, me veterum beneficiorum memorem, et ad gratificandum tibi quavis occasione voluntatem mihi nunquam defuisse. Vale vir præstantissime et me in iis numera, quos tibi multis nominibus ad sincerum

tui cultum et omnem benevolentiam animi grati devinxisti. Iterum vale felix et salve. Venerandus Socer meus tibi multam salutem precatur. Hafniæ 16 Maji 1603.

J. S.

3.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Salutem in filio Dei corporis et animi sempiternam (etc.). Quartam decimam orationem tuam synodalem, cujus ad complendam *τεσσαραδέκαδα* nobis spem aliquam in proximo colloquio nostro injecisti, accepi et legi. Legi, inquam, eo diligentius, quo magis argumentum, quod ea tractatur, scirem esse adhuc controversum. Et ego quidem fateor, me in ea esse hæresi, ut existimem, non simpliciter usuram in Sacris Literis prohiberi. Nam quæ in Veteri Testamento ea de re extant testimonia, ea pleraque omnia peculiariter ad populi Israelitici fortunas partim augendas, partim non minuendas spectare multis existimantur. Absque eo sit, non adeo non est usura prohibita, ut etiam disertis verbis permissa, imo vero pene dixerim mandata esse videatur. Neque enim aliter intelligo, quod est Deut. 23 v. 20. Quod autem in Novo Testamento extat Luc. 6 v. 35, id quæ præcedunt, ita declarant, ut non nisi de sorte intelligi possit. Quasi jubeat Dominus, nos solo benefaciendi affectu ad commodandum impelli debere, etiamsi nihil quicquam sciamus nos recepturos, qui sane metus multos a benefaciendo et juvando proximo mutuum petente deterret. Ut propterea usuræ distributio in licitam et illicitam non adeo mihi absurda esse videatur. Sed mei iudicii illa non facio. Faceres tu mehercle rem et Deo gratam, et rei Christianæ ac præsertim sacri ministerii curationi valde utilem, si de editione totius *τεσσαραδέκαδος* aliquando cogitares. Et haberes, mihi crede, multos bonos et doctos viros ejus consilii atque instituti approbatores. Quid ni enim? Cum res ipsa sese, vel maxime invidis et invitis, possit approbare. Neque est sane, cur velis tam

præclara non solum privatæ in officio curæ ac sedulitatis, sed et publicæ de doctrina in Ecclesiis nostris, Dei beneficio, sonante et ab idolomania pontificia et corruptelis Jesuiticis adhuc intemerata, contestationis *δείγματα* ac documenta perire. Nam quid videtur aliud sperandum, nisi te ipso vivo et volente, res in effectum deducatur.

Instituatur apud nos propediem Promotio Baccalareorum, id mandante Magnifico Dn. Cancellario. Hypodidascalos etiam Scholæ vestræ ad eum gradum petendum Senatus Academicus censuit invitandos. Mitto igitur aliquot exempla programmatis publice jam biduum affixi in eosdem distribuenda. Quo in negotio, quod tuam operam non verear usurpare, veniam te mihi daturum pro tua humanitate confido. Vale vir præstantissime (etc.). Hafniæ
27 Jul. 1603.

T. H. A.

Joh. Stephanus.

4.

M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

Clarissime Vir, Fautor et Amice perpetuo studio colende. Legendas mihi nuper exhibuit tuas ad se literas communis noster amicus M. Joh. Aalburgius. Earum pars quædam ad me peculiariter pertinebat, cujus fidei commiseras orationum tuarum *τεσσαραδεκάδα* venerando Domino Socero meo, una cum literis tuis ipsi inscriptis, offerendam. Feci equidem ea in re, quod debui. Accepit ille, sed quia propter varias occupationes mox perlegere non potuit, apud sese per hocce propemodum trimestre retinuit, quo tempore et maximam partem evolvit diligenter, et probat maxime, et editionem cum multorum utilitate conjunctam fore arbitratur. Admonitus autem a me de tua voluntate, confestim tibi illas remisisset, nisi reliquis etiam Dominis Theologis putasset ostendendas. Misit igitur ad Doct. Dybvadium, qui sibi tum temporis dicebat non vacare, ut ad se legendas reciperet. Cum autem voluntati tuæ cuperet satisfactum venerandus Dn. Socer meus, nec tempus aliud

putaret expectandum: hodie mihi eas reddidit tibi remittendas, cum proluxa sui in te studii et officii significatione, mandans, ut de his te per literas suo nomine facerem certiozem, et simul novum hunc annum, quem recens summus ingressi, felicem, fortunatum ac salutarem tibi comprecarer. Ad cujus votum meum quoque adjungo, tibi que de multis et magnis beneficiis gratias ago et habebam perpetuas. Quid ego vero sentiam de tuis orationibus earumque editione, id antea perscriptis ad te literis satis declaravi, neque enim aliter nunc judico, quam ut optem editas jam esse, quo non meæ solum sed et multorum præterea expectationi ac desiderio earum crebro iteratâ lectione satis aliquando fieri posset. Deus opt. max. te cum universa familia diu salvum et incolumem conservet. Vale vir præstantissime, meque solito favore complecti nunquam, licet immerentem, desine. Hafniæ d. 13 [Jan.] Anni 1604.

T. H. R. C.

Joh. Stephanus.

5.

M. Magno, Episcopo Lundensi.

Salutem in filio Dei. Redditæ sunt mihi Rev. et Cl. Vir, fautor et amice honorande, literæ tuæ, in quibus hoc primum me valde delectabat, quod nobis editionem tuæ Tessaradecadis serio promittas. Nec dubium quin negotii procuracionem in se non invitus sit suscepturus Alburgius noster suis etiam sumptibus, cum præsertim lucri haud parum ipsi sperandum inde videatur. Poterit meo judicio corpus ipsum orationum per se primum et seorsim excudi, et inter excudendum paulatim Professoribus legendum exhiberi, ut interea temporis de capite adjungendo, h. e. Titulo, Præfatione et Epigrammatis præfigendis diligentius cogitetur. Alterum erat de filio tuo Henningo, de quo cum Dn. Resenio sum collocutus, post traditas ipsi Henningi literas, cumque de testimonio nonnihîl gravaretur ipse, permisit tamen, ut ego scriberem aliquid, per quod, pro

impetrando publico Universitatis, ad Rectorem aditus pararetur. Sed necesse fuit hinc per biduum detineri nuncium vestrum, quam moram speramus vos benigne accepturos esse. Mea vobis studia et officia quantulacunque operam dabo ut nunquam non, etiam haud requirentibus, constare possint. Venerandus Dn. Socer meus salutem tibi mecum precatur. Bene et feliciter vale, Domine et fautor, omni ratione mihi colendissime. Hafniæ 28 Febr. 1604.

T.

Joh. Stephanus.

6.

Domino M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

Salutem in filio Dei corporis et animi sempiternam. Reverende et clarissime vir, fautor et amice vetus ac honorande. De misso ad me, mihique donato volumine orationum tuarum est cur merito tibi gratias non solum agere debeam, verumetiam habere velim immortales. Neque enim me tam ipsum donum, quamvis neutiquam contemnendum, delectat, quam spero me non sine singulari fructu mecumque multos eruditissima tua variarum rerum ad sacræ doctrinæ ejusque ministerii explicationem et informationem pertinentium *ὑπομνήματα* perlecturos, ut vel idcirco gaudeam, nequaquam etiam me frustra tibi, ut lucem ea aspicere permitteres, hortatorem una cum aliis forsitan extitisse. Quam præterea novam orationem de Apostata et Apostasia mihi tradidit legendam venerabilis Dn. Pastor vester M. Olaus¹⁾, eam ad me recepi non solum ipse evoluturus diligenter, sed et Domino Socero meo, qui nunc peregre abest, quam primum redierit, exhibiturus, nihil quicquam dubitans, quin eam sit suo calculo mox approbaturus, ut sine mora Typographo excudenda committatur. Quod negotium, si visum tibi fuerit meæ mandare fidei,

¹⁾ M. Oluf Jensen Kock, senere Præst ved Nicolai Kirke i Kjøbenhavn.

operam omnino sedulam navabo, ut recte curetur, et si non omnium illa emendatissima, attamen absque insigni aliqua *ψαλμάτων* deformitate edatur. Id modo significetur, quali typorum forma, quota chartæ complicatione, cupias emittendam, tum si quid sit, quod præterea mutandum censeas, an vero exemplum transmissum simpliciter imitandum.

De me quod scire forsitan velis, pro tua singulari humanitate et erga me benevolentia, ad uxorem ducendam animum ante paucos menses adjeci, eaque mihi, Deo propitio et vita superstite, domum propediem ducetur, solennitate quidem consueta, sed sine pompa et magna celebritate. Atque eo fit, ut paucos tantum ex nostris, eosque propemodum domesticos, ad nuptias vocemus, quod propterea scribo, ut sinistri nihil de voluntate nostra suspiceris, aut in alienam partem interpreteris, quasi tu quoque, quem tamen fortasse minime decuisset, cum aliis multis a nobis neglectis præterearis. Pro tuis nihilominus nos semper habebis ad omnia gratissimæ memoriæ officia promptos et obsequentes. Bene et feliciter vale (etc.). Hafniæ 19 Septembris 1604.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

7.

M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

Quam hactenus aliquamdiu sollicite exspectavi, vir clarissime, fautor et amice colendissime, eam nunc oblatam mihi esse gaudeo occasionem, ad te de rebus omnibus diligenter perscribendi. Pudet enim me propemodum, has jam tertias abs te literas habere, et nihil adhuc respondisse. Neque tamen est, cur idcirco velis a me negligenter quicquam curatum suspicari. Sic igitur habeto. Primum quidem tibi et uxor ipsa mea, et ipsius ego nomine, pro tuo de nuptiarum nostrarum felicitate pio voto et amplissimo simul misso munere gratias agimus, non quas debemus, sed quas possumus, relaturo, si quando fors ferat, perpetuas interim cum constanti de te tuisque bene merendi studio habituri.

Quod Julianæam tuam attinet (nam id alterum est) ea nunc typis Valdkirchianis describitur, in eaque descriptione aliquousque progressum est, ea forma, quæ mihi videbatur, siquidem mei rem eam iudicii esse voluisti, ad Tessaradecadis editionem magis congruere, ut, si qui velint hanc cum illa conjungere, commode queant. De toto negotio ita mihi cum Typographo convenit, ut trecenta tibi soli, quod te velle significabas, exempla tuis sumptibus describat. Neque enim se sui alicujus compendii causa laborem istum in se recipere satis alias occupatum voluit videri, vir alioqui, ut nosti, probus, et minime vanus, nec suarum rerum plus æquo satagens, ut propterea bona fide hic nobiscum actum iri confidam. Sumptuum ratio nondum certa iniri potest. Specimen mitto, duos priores quaterniones. Quod si ad quintum opus excreverit, erunt omnino sumptus 12 thalerorum, uti inclusa schedula docebit.

Ad tertium venio. Impudentissimam scilicet pervicaciam hominis istius, qui se pro Malmogiensis Ludi Moderatore gerit et gerere etiamnum audet, vel invitis iis, quibus modeste parendum ipsi fuisset, potius quam ambitiöse resistendum, cum sciat se merito suo suspectum omnibus bonis et fuisse hactenus et esse collusionis cum Jesvitis religionis nostræ hostibus infensissimis. Quod si non aliunde hoc manifestum esse posset, vel ex isto cothurno, ut recte vocatis, quem in Synodo vestra recitavit. Quem facile esset ex compilatis hinc inde Pontificiorum scriptis consutum demonstrare. Age, quærat ab ipso, annon aliquam partem huc contulerit Laurentius ille Surius ex rancida sua seu putrida (ut Machabæus p. m. in quodam disticho appellat) historia. Aut dicat, unde aliàs hauserit illa Cucullatorum et Excucullatorum agnomina, ut de aliis nihil dicam, quæ inde sunt pene ad verbum descripta. Neget se scire a Surio recitari p. 150 partem Epistolæ, quam scripserit ad Lutherum Georgius Saxonix Dux, in qua hæc inter alia: Quo unquam tempore tot habuit Vitenberga excucullatos monachos et moniales atque hodie?

Annon idem Surius toties Lutherum nominat Monachum nondum excusso cucullo? Nonne aperte Pomeranum monachum excucullatum? pag. 139 et 224; eodemque modo Bucerum? p. 216. (Liber meus Surianus excusus est in 8^{vo}. Coloniae A. 1586). Nonne expresse ait, plerosque omnes novi Evangelii authores et signiferos apostatas monachos fuisse? p. 138. Hinc ipsi Lutherus Augustiniani instituti monachus, p. 89, et apostata monachus, p. 144. 146. 160. 199 etc. Oecolampadius Brigidani instituti desertor p. 104, apostata monachus p. 214. Bucerus desertor instituti Dominicani p. 138, apostata Dominicanus p. 152. Et in universum Lutherus, Melanchthon, Bucerus, Pomeranus et id genus alii apostatae monachi p. 280. Dicat igitur Haggæus, si potest, in conscientia sua, hos eosdem se non intelligere per cucullatos et excucullatos, h. e. monachos apostatas. Vel quos intelligat alios. Credisne, Rev. Domine Episcopo, hinc ipsi cum sui similibus, quoties conveniunt, materiam risus, quod tam palam nobis illudat et religionis nostrae doctoribus convicietur, ut illud tamen nos bardi scilicet non sentiamus? Et hoc vel solum non esse potest argumento, eum a nostra religione prorsus alienum et Jesuitis omnino addictum, Jesuiticum venenum non posse non occulte nonnunquam (cum aperte non audeat, quod in Epilogo ejusdem Cothurni sui deplorat) evomere et ejaculari? Et tamen queritur, se miserum sine causa suspectum esse, cum tam sit pius, tam in pauperes largus, toties accedat ad sacram synaxin, tam fideliter officio praesit: ut ipsum commendans huc scripsit quidam e Senatu urbis istius. Sed ad rev. Dño Episcopo Socero meo monstravi omnia huc abs te missa, Cothurnum vel etiam Centonem, et in eum animadversiones tuas. Item exemplum literarum Regiarum, quibus nituntur Malmogienses, qui non vident (ut hoc obiter) Lectores suos, Franciscum Vormordi, Petrum Laurentii, Olaum Chrysostomum, Ordinationi Regiae, haud dubie totius Reipublicae nomine, subscripsisse. Sed illa, Cothurnum inquam et notas tuas, postquam per otium

evolvisset, reddidit, existimans non edenda vel hominis causa, quem censeat haudquaquam tanti faciendum, ut ipsius nugis a viro aliquo gravi publice respondeatur. Ea vero una cum censura M. Thomæ p. m. nunc remitto, quod te velle postremis tuis significabas. Exemplum autem Privilegii Malmogiensium retinuit Magnif. Dn. Cancellarius Regiæ Majestate per occasionem monstraturus, et de toto negotio, edoctus scilicet ab Episcopo, ad ipsius Majestatem relaturus. Quicquid visum et responsum fuerit, id primo quoque tempore, faxo ego, ut ad te perscribatur. Nam audio Senatam Urbis de Scholæ rebus nonnullis Regi item supplicasse et interim velut aliud agendo Rectorem mirifice commendasse, quin et eo etiam nobiliss. Præsidentem Regium ¹⁾ adduxisse, ut is non sit gravatus suis quoque literis hominis causam suscipere defendendam. Ita omnem movent lapidem, ut Sinonem illum apud se retineant, veriti, opinor, ne, si talem instigatorem semel amittant, satis postea sua sponte nequeant, aut etiam aliquando tandem desinant insanire. Quasi vero non satis constaret ex superiorum temporum historiis, quam fidelem se præstiterit Malmogia, rebus fluctuantibus. Sed hæc tibi.

Ad quartum. M. Paulus ²⁾, quem tibi Academia commendavit, hic interim expectat, ut si removendus sit iste, tuæ autoritatis interventu in ejus locum surrogetur. Neque enim video, quid possint in ipso, nullo facto periculo, Malmogienses desiderare, nisi forte ætatem ejus putent contemnendam. Nam in vita aut moribus quod culpent, haud equidem quicquam esse credo. Fuit is olim meus in Schola Sorensi discipulus, deinde in hac etiam Academia convictor et domesticus, modestus mehercle mihi semper visus et studiosus admodum, ut existimem ab eruditione satis instructum ad provinciam illam recte administrandam. Sit igitur tibi a me quoque peculiariter commendatus. Nec dubito, quin hoc etiam nomine sis ipsius causam, si eve-

¹⁾ Sigvard Grubbe. ²⁾ Povl Jensen Kolding.

nerit, ut id necessitas aliqua requirat, adversus Malmogienses tutaturus. — Hæc habui, quæ hoc tempore nimis forsitan multa tibi responderem, sed volui prius silentium hac prolixitate compensare, quam ut in bonam mihi partem interpreteris te etiam atque etiam rogo. Dominus Socer meus tibi multam salutem precatur, id quod mecum etiam uxor mea facit (etc.). Hafniæ 4 Martii 1605. J. S.

8.

M. Magno, Episcopo Lundensi.

Salutem in Filio Dei corporis et animi sempiternam. Reverende et clarissime vir, fautor et amice honorande. Huic Ebero Christophori isthuc ituro aliquid ad te dandum existimavi, quo de negotiis mihi abs te mandatis eorumque fidei executione ratio tibi adhuc aliqua constaret. Julianæa tua etiamnum est sub prælo, propediem tamen exitura, nam hodie postremas paginas exemplaris scripti a me typographus accepit, qui quoties de festinatione urgetur, excusat typorum penuriam et paucitatem, eorum scilicet, quibus oratio describitur, quibus iisdem ipsi ad alia interim excudenda sit utendum. Sextum quaternionem omnino addi oportuit, etiamsi videatur in eo postremum folium vacaturum, unde paulo major erit impensarum summa, quam proximis meis indicavi.

Haggæus Malmogiensis hisce diebus hinc fuit cum literis a senatu urbis ad M. Jonam collegam nostrum, qui causam ejus Magnifico Dn. Cancellario commendaret. Id quod etiam M. Jonas mihi coram retulit se invitum quidem fecisse, sed noluisse se officium suum petenti senatui denegare, Cancellarium vero nihil benigne respondisse: suasisse modo, ut cum se suspectum Haggæus sciret, functione illa scholastica sese omnino abdicaret, nec in conspectum Regiæ Majestatis auderet unquam venire, alioquin forte futurum, ut majus ipsi aliquod incommodum inde eveniret. Haggæum vero, hoc audito, in omnes se formas mutasse, et cum magno tandem ejulatu questum, se innocentem tra-

duci, rem indignam esse, non admitti suam excusationem, nec sese ad causam pro se dicendam vocari, extare suas in Examen Philippi et Catechismum Vitebergensem annotationes, in quibus si quid monstretur, quod a nostra religione alienum videri queat, non recusare se, quin exemplum in se statuatur supplicii omnium acerbissimi. Esse alios in hoc regno, quorum si scrinia et bibliothecæ ex improvise magistratus jussu excuterentur, tum vero ex libris et literis palam futurum, quinam essent veri Jesuitarum applausores. Se neminem quidem nominare, sed si cogatur, omnino facturum etc. Hac mihi et alia in eam sententiam M. Jonas; bona sat scio fide. Reverendum Dn. Socerum meum post conveni. Is cum multa salute hæc me jussit suis verbis ad te scribere, quæ Magnif. Dn. Cancellarius de privilegio Malmogiensium respondisset. Nimirum illud ipsius Magnificentiæ prorsus nullius videri momenti (Dett er Skarn, sagde hand, de farer mett). Haggæum autem censusse plane removendum, et in ipsius locum abs te, videlicet episcopo, non senatu, substituendum, quisquis dignus fuerit judicatus, qui cum fructu scholæ administrationem in se recipere queat. Quod si tibi officium facienti et jus interim tuum ea in re usurpanti senatus sese opponat, aut quovis modo impedimentum afferre conetur, de eo confestim ad aulam referendum esse, paratum htc tibi patrocinium fore, si forte non interea temporis, quod clam suggestit Dn. Socer meus, aliquid interveniat, ex quo discant Malmogienses, falcem in alienam segetem sibi nequaquam esse mittendam.

De publicis precibus nihil dum est auditum, ut credam, hoc anno nos nullas habituros. Eberus hic voluit tibi a me commendari. Hominis notitiam non magnam habeo. Trepide et tarde loquitur, si quid latine loquendum est. Verumtamen in ea schola, de qua mihi significavit, locum ei tribui posse censeo; docendo forsitan ipse quoque discet et proficiet. De exemplaribus orationis tuæ quid fieri velis, nimirum an soluta sint omnia mittenda, an vero

aliqua prius hinc compingenda, aut si quid aliud sit, de eo ubi certior factus ero, ad voluntatem tuam me prorsus accommodabo. Bene et feliciter vale (etc.). Hafniæ 21 Martii 1605.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

Paa et indhæftet Blad findes i Stephanus's Konzeptbog en Afskrift (med Stephanus's Haand) af følgende under de forhaanden-værende Forhold hel mærkelige Brev fra Professor M. Jon Jakobsen Venusin til den i foranførte Brev omtalte Rektor i Malmø, M. Jens Aagesen, der neppe uden Grund var mistænkt for papistiske Sympathier.

Clarissimo Viro, virtute et doctrina præstantissimo, M. Johanni Haggæo, Scholæ Malmogiensis Rectori vigilantissimo, amico suo semper amando atque honorando, S. P. D.

Ornatissime vir, amice honorande. Heri primum per D. Resenium mihi significatum, tuas res in integrum restitutas. O lætum diem, ô Grubii nostri salature sidus, quod te tuamque uxorem et liberos, quod scholam, quod senatum totamque adeo urbem nova atque amabili luce perfundit. Bene sit Grubio meo, qui juvandis, salvandis et beandis bonis natus est. Gratulor igitur, vir optime, inopinam sane fortunæ vicissitudinem, et Deum precor, diu ut vivas, et ea, quæ cœpisti. juventutem deinceps industria erudias. Non dubito, quin gratum te qua dicto qua facto sis Sigvardo nostro exhibiturus. Doctor Resenius se huic felicitati tuæ nequaquam invidere ostendit, sed ut ab isto hominum genere deinceps tibi caveas necessum arbitratur. Non opinor, ad Episcopum te scripsisse, quod apud animum tuum constitueras. Opinor enim Præsidentem vestrum hoc apud te præoccupasse. Cancellario sane nihil dum nudius quartus ea de re innotuerat. Igitur, mi M. Johannes, cum res tuæ in vado sint, caute deinceps ambules. Præsidentem vestrum, summum Mæcenatem meum, senatum item urbis, et consanguineum meum urbis præfectum, coniugem item tuam, et amicum meum veterem M. Johannem Sthenium urbis vestræ pastorem cum conjugæ suæ salutabis. Cognato meo de salmone misso gratias ages, et valebis mi Jane. Festinanter 21 Martii Anni hujus 1605.

T.

Jonas Jacobus.

9.

Ad M. Magnum, Episcopum Lundensem.

Salutem etc. Reverende et clarissime vir, fautor et amice honorande. Ex tuis, quas mihi reddidit Joh. Matthiæ Boringius, video te postremas meas, quas Ebero cuidam Christophori ad te paulo ante Paschæ festum dedi, tum non accepisse, cum scriberes, quamquam nunc, uti spero, acceperis. Quod si sic, nullum opinor dubium tibi superesse potest amplius, quod tibi de Scholarcha Malmogiensi faciendum, quove ordine procedendum, aut quo jure in isthoc negotio existimare velis utendum. Domino Præsidi nihil scriptum ab Episcopo, multo minus a Domino Cancellario, qui ne nominari quidem voluit a M. Jona, si quid is Senatui rescribendum putaret. — Julianæ tua tandem excusa est, nullo meo quidem labore, sed, ut quod res est fatear, cum nonnulla indignatione, quod operas habuerim dicto minus audientes. Nam propter odiosam cunctationem vide, quot reliquerint *σφαλματα*, etiamsi bis a me correcta. (En hel Del Trykfejl anføres, som her forbigaas). Typographo pro quinque quaterniones 12 Unciales argentei debentur, cujus summæ ratio tibi constare potest ex scheda, quam misi ipsius manu subscriptam. Quia vero sextum necesse fuit addi, pro eo præterea debentur exactissimo calculo Unciales duo cum solidis nostratibus fere 26. Quod si 15 omnino miseris Unciales, supererit nonnihil, quod corollarii loco dari poterit operis, quarum ministerio et servitio Valdkirchius utitur, ipse artis ignarus. Exemplarium mitto tertiam partem ex utroque chartæ genere. Si reliqua mittenda censeas, aut aliqua in amicos distribuenda, aut etiam ad distrahendum Bibliopolis tradenda, de eo me velim certiozem reddi, quo sciam me ad voluntatem tuam accommodare. Neque enim te velim existimare mihi labori aut oneri quovis modo esse vel futurum unquam, si quid operæ tibi aut opellæ potius a me præstetur, ut id propterea censeas singulari aliquo præmio remunerandum. Quin potius ita statuas, me totum tibi debitorem esse, nec te

quicquam mihi imperaturum unquam, quod non debeas a me tuo quodam optimo sane jure obtinere. Bene et feliciter vale (etc.). D. 6 April 1605.

T. H. A.

Joh. Stephanus.

10.

Dn. M. Magno, Episcopo Lundensi.

S. R. et Cl. vir, F. et A. honorande. Consuluit me de suis rebus Scholæ Helsingborgensis Rector, meus olim in hac Acad. discipulus privatus, qui tuo jussu, uti ajebat, huc trajecit suscepturus gradum Baccal. in Philosophia et primis artibus. Sed quia præterea querebatur, se ab omnibus rebus propemodum, ad isthuc faciendum, imparatum, quod nec satis mature admonitus, nec ab ipso Decano invitatus esset, ut se et viatico necessario et sumptibus promotionis instruere posset, cumque jam ante octiduum habitum sit utrumque examen, et cras instituenda disputatio, ut vix a Decano, consilii ipsius et voluntate plane ignaro, admitti posse videretur: suasor ipsi fui, ut mutata sententia rem differret in proxime sequentem annum, atque tum sese in hoc negotio nobis præberet obsequentem. Quod quidem se facturum recepit, verum interim sese valde vereri, ne tuam in se indignationem provocaret, quod secus, quam abs te jussus fuisset, factitasset, atque idcirco etiam rogare, ut hanc mutati consilii rationem meis tibi literis exponerem. Quapropter etiam atque etiam oro, ut ipsius hanc excusationem accipias, et ipsum factum in optimam partem interpreteris, neque existimes ex contumacia aliqua, sed omnino non aliunde, quam scripsi, profectum. Fidem suam et industriam si tibi præbet (quod sancte pollicetur), te Patronum benignum et faventem, in posterum se quoque sperat habiturum. B. et f. vale, cum tota Ecclesia domestica, a me et uxore mea reverenter et officiose salutatus. Hafniæ 19 Julii 1605.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

11.

M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensis.

R. et c. vir, f. et a. honorande. Qui has exhibet, Boetius Laurentii Malmogianus, voluit tibi a me commendari. Ejus petitio quanquam mihi optato accidit, ut intermissum jam aliquandiu ad te scribendi officium hac occasione renovarem: tamen molesta nonnihilo eo fuit, quod sic quoque tibi molestiam aliquam me scirem omnino exhibiturum. Sed veniam mihi dabis pro tua facilitate, et culpam omnem huic Boetio imputabis, qui me ad hoc facinus impulit. Juvenis est, ut apparet, modestus, nec in studiis infeliciter aliquam multis jam annis versatus, ut dignum censeam, cujus in patria ratio habeatur, si eveniat, ut ipsius opera ad Ecclesiam Christi illic aliquando utilis et forsitan necessaria futura videatur. Peramanter igitur oro, patiaris tibi eum esse commendatum, quatenus animadverteris talem esse, in quem videatur beneficii aliquid non frustra conferendum. Deus opt. max. tibi merces erit amplissima, etiamsi multorum sit hodie summa in benefactores ingratitude¹⁾. — Nihil est apud nos novi, nisi quod serenissimus Rex nudiustertius hinc solvens in Norvegiam dicatur cursum intendisse. In ordinem nostrum, Rege mandante, nuper est cooptatus Doctor Leonhardus Metznerus, Juridicam Professionem, loco defuncti Doct. Nicolai Theophili, suscepturus, ut speramus, cum fructu discentium et commodo ac honore Scholæ. Deus nobis adsit omnibus ac singulis, et faciat nos vasa misericordiæ suæ. Vale (etc.). Hafniæ die 19 Septembr. 1605.

R. T. H. C.

Johannes Stephanus.

12.

M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

Cl. vir, f. et a. honorande. Legendam mihi exhibuit Alburgius noster orationem recens abs te habitam in Synodo vestra, simul rogans tuis verbis, ut quid mihi de ea

¹⁾ Den her anbefalede Person endte som Rektor i Roskilde.

edenda videretur vel ipsi coram vel tibi per litteras significarem. Hic primum lætabar mihi oblatam occasionem ad te scribendi, ut sic litterarum officium, etiamsi tibi forte molestum mihi tamen honorificum, jam aliquandiu intermissum, renovarem. Tum librum acceptum semel atque iterum perlegi, et ut quod sentio uno dicam verbo, dignum judico, qui a multis legatur. Nam edita multis, spero, proderit ad recte judicandum de statu quæstionis, quæ basis et fundamentum est eorum omnium, quæ inter Nos et Pontificios sunt in doctrina controversia. Quam diu enim de norma doctrinæ et controversiarum judice non conveniet, dum nos solum verbum Dei pro vera et infallibili norma acceptamus, illi vero Ecclesiæ suæ cacolycæ traditionibus et Patrum scriptis ac conciliorum decretis parem cum verbo Dei tribuunt autoritatem: de cæteris non modo nunquam convenire, sed ne disputari quidem cum fructu poterit. Sed patitor, obsecro, et patienter ferto me de nonnullis monentem, quæ videntur alicubi partim addi commode, partim aliter dici posse, in quem usum folia numerorum notis signavi. Folio igitur 6: dicuntur omnes libri canonici V. T. Hebraice scripti, cum haud scio, annon Chaldaice tantum sermone saltem capita quædam scripta extent in Daniele, Lib. 1 Ezræ, in Jobo et alibi, quod convenit fortasse moneri, ne inscitiâ omissum existimetur (etc.). Fol. 21: Cum constet in versibus Sibyllinis expresse fieri mentionem trium personarum divinitatis, item incarnationis filii Dei etc., doceri hinc possit, quid de eo sentiendum. Ut nihil dicam de iis, qui Platonem putant non incognitum fuisse mysteriorum Trinitatis, ipsique Deo appellatione *τοῦ νοῦ* nihil aliud significari, quam *τὸν λόγον* in Evangelio Johannis. Sed ineptus ego, qui, quod ajunt, Sus Minervam. De tua verò humanitate tantum mihi persvadeo, ut credam omnino hoc meum factum, ex animo simplici et sincero profectum, veniam apud te et excusationem meriturum. Meam in adornanda editione si requiras opellam, eam tibi volens et lubens præstabo quam po-

tero fidelissimam. Bene et feliciter vale Deo opt. max. cum tota ecclesia domestica commendatus. Hafniæ die 18 Octobr. 1605.

T. H. A.

J. Stephanus.

13.

Domino M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

R. et cl. vir, f. et a. honorande. Cum objurgatione digna fuisset ista sive audacia mea sive impudentia, quam proximis meis ad te litteris declaravi, et ego illam hactenus meo merito expectarem, quod suppuderet me ejus temeritatis, cujus mihi essem probe conscius: ecce præter meam expectationem hodie afferuntur mihi abs te litteræ, haud dicam eruditionis et elegantiae, an humanitatis et benevolentiae pleniores, omnibus equidem istis plenissimæ. Nam ut taceam, quæ de rebus, quæ de tuo studio erga Ecclesiam Christi ejusque Ministros recte informandos eleganter et vere disseris, in quo ut præclaram Deo navas officii operam, ita haudquaquam, spero, infructuosam: de altero potius dicam, incredibili scilicet humanitate tua, qua non solum cum quadam lubentia te accepisse quæ commonueram scribis; sed et, quasi beneficium hac in re tibi contigisset, ita gratiam insuper et permagnam quidem de eo mihi censes habendam. Bene igitur habet, sic enim et metu me liberasti offensionis tuæ, et non plane infeliciter meum istud facinus subindicas evenisse. Quod ipsum ex renovata oratione tua, celeri lectione a me percursa, comperio. In qua præter alia mutata additaque id me imprimis delectat, quod tam libris et vaticiniis Sibyllinis, quam ipsi etiam Platoni, adimas omnem mysteriorum religionis nostræ cognitionem. Contra quam insulse sapiunt quidam, qui ut magni Platonici videantur ipsi, ex Platone, non contenti eximium Philosophum esse, summum præterea Theologum, et nescio quid non facere conantur.

Nemo est omnium, cui displicere possit studium tuum; et ut sit, tamen te confirmabit conscientiae tuæ testimonium, maxime vero, quod Deum habeas et omnino sis habiturus

voluntatis tuæ approbatorem. Domino Socero meo, sat scio, grata erit hæc quoque oratio tua, cui eam perlegendam exhibebo, cum domum redierit. Est autem profectus Roschildiam, sepulturam nobilis viri Erici Valkendorph suo præconio ibidem cohonestaturus. Ac deinde mox agam cum Waldkirchio de editione, quantumque in me est, curabo, ut quam fieri potest emendatissime imprimatur, idque primo quoque tempore. Interim vero, quoties licebit, faciam te de toto negotio ejusque processu per litteras certiore. Bene et feliciter vive et vale (etc.). Hafniæ, ipsis Nonis Decemb. Anni 1605.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

14.

Dño M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

R. et cl. vir, F. et A, honorande. Quod tanto jam temporis intervallo nondum tota sit excusa oratio tua, id omnino velim te existimare, non mea aliqua culpa aut negligentia factum, sed ob cunctationem maxime et nescio quam tergiversationem Typographi, qui cum a me compellaretur, suam mihi operam nulla voluit alia conditione addicere, quam ut typos grandiusculos sibi liceret usurpare, quod minutiores illi vix sufficerent ad alia, quæ tum in manibus habebat, quæque quotidie plura afferebantur, excudenda. Ego vero suspicatus ipsum hinc suum quærere compendium, ut crescente chartarum numero, ipsi lucrum simul cresceret, respondi, me malle ad tempus aliquod expectare, ut iisdem quibus Julianæa hæc quoque nunc typis describeretur. Verum ne sic quidem proficiens quicquam, promisi tandem invitus (quod factum sit absque tua offensione), ut hic suæ voluntati obsecundaret. Mitto igitur operis inchoati specimen, duos priores quaterniones. Sunt typi satis elegantes et nitidi, nisi quod eorum granditas paullo plus requirat sump-tuum, quorum ratio ut tibi constare possit absoluto opere (quod intra unam abhinc aut alteram ad summum dierum hebdomada futurum spero) ab ipso Typographo consignatam eam tibi mittam. (Efterat Stephanus har omtalt en lille

Forandring, han havde foretaget ved Skriftets Titel, og at han havde tilføjet et Motto af Irenæus, anbefaler han Baccalaren Anders Nielsen til Biskoppen. Han havde været Stephanus's Discipel i Sorø Skole, og senere hans Privatdiscipel ved Universitetet, og havde udmærket sig ved Beskedenhed og Flid. Baccalaurgraden havde han taget for henved tre Aar siden under Stephanus's Dekanat, og han ønskede nu Ansættelse i Lunds Stift). Hafniæ die 4 Febr. 1606. Johannes Stephanus.

15.

(Stephanus sender med Bogfører M. Hans Aalborg Biskop Mogens Madsen 80 Exemplarer af hans Tale, og omtaler, at han i dennes Navn havde uddelt Exemplarer til Kansleren, Professorerne og flere Adelsmænd. Han beklager, at der er indløbet enkelte Trykfejl i Talen. Resten af Exemplarerne vilde han ved første bekvemme Lejlighed sende Biskoppen. 21 Febr. 1606).

16.

M. Magno Matthiæ, 28 Febr. 1606.

Has literas perferendas dedi Boëtio, Scholæ Malmogiensis Rectori, scriptas ex tempore, quorum nullum habeo exemplum.

17.

M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

Reverende et cl. vir, F. et a. honorande. Eadem pene hora, qua Boëtio postremas meas ad te tradideram, una cum Exemplarium parte reliqua, quæ quidem omnia ad te bona fide perlata esse non dubito: reddebantur mihi postremæ item tuæ cum pecunia per Johannem Otthonidem, Collegam Vestrum, et monstrabatur præterea scheda memorandorum eorum, scilicet de quibus a me tuo nomine peractis certior fieri cuperes. Ad quæ nunc singula, siquidem de suo ad vos reditu idem Otthonides me . . . voluit præmonere, seorsim respondebo. Typographo primum significavi, te ægre nonnihil tulisse, tantum pecuniæ ob præ-

stitam operam suam in oratione tua excudenda ab ipso flagitari. Ad quod ille, dejerans etiam, ajebat, se precium ejus rei nec avare nimis nec inique statuisse, quemadmodum te voluit chartâ his inclusâ a me edoceri. Ex qua eadem etiam de sumptibus factis et expensis omnibus ac residuo insuper (quod secundum erat) ratio tibi constabit. De tertio et quarto sic habeto. Ex 30 exemplaribus, quibus exceptis reliquorum ad te transmissorum numerum completum fuisse puto, Typographus sibi tria retinuit, suum nescio quod jus in ea re prætendens; unum ab incude calens mihi paulatim sumpsit relegendum, ut si quid errorum insigniorum irrepsisset, ejus corrigendi ratio aliqua iniretur, priusquam opus totum in manus hominum perveniret. Reliqua 26 sunt, secundum voluntatem tuam ad me prioribus literis perscriptam, patronis et amicis cum honoris cujusque præfatione tuo nomine donata. Nempe Magnif. Dn. Cancellario, Dn. Quæstori Regio Envaldo Krusio, Dn. Secretario Nicolao Kragio, Dn. Apicio Collegæ vestro, Dnn. insuper Georgio Brockenhuss, Johanni Bielke, Claudio Dyer et paucis præterea extra Regios Cancelloribus, numero 10. Tum Rectori et Professoribus, item Alburgio nostro, et qui iisdem diebus hic forte aderant, Episcopo Arhusiensi ejusque collegæ Mag. Christiano Fossio, numero simul 16. Ut ita nihil existimem restare jam amplius in hoc negotio, in quo non tuæ sit voluntati abunde satisfactum. Meum autem si quod tibi præstitum sit officium, id scito debitum fuisse; quod utinam ita gratum tibi et acceptum contigerit, ut est a me summa cum voluntate et lubentia profectum. Vale (etc.). Hafniæ die 18 Martii 1606.

Joh. Stephanus.

18.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Reverende et clarissime vir, fautor et amice honorande. Grata mihi imprimis et jucunda fuit narratio hujus Andreæ Nicolai, qua inter alia singularem tuam benevolentiam et in ipso promovendo studium non potuit mihi satis comme-

morare. Itaque quantas mihi gratias egit pro mea commendatione; tantas ego et multo majores me tibi debere agnosco, quod istam apud te tantum valere permisseris, quantum ipse Andreas libenter fatetur et grata memoria se prosecuturum pollicetur. Cum autem hæc mihi offerretur ad te scribendi occasio, faciendum omnino putavi, ut de rebus nonnullis, quarum forsitan fama ad te pervenit, certam tecum notitiam communicarem. Ac primum quidem est de scripto illo, quod orationi tuæ de secta Jesvitica opposuit e Societate quidam, quod omnes, qui vident (in multorum enim manus pervenit, adeo ut et Serenissimus Rex noster de eo sit edoctus, et nobiliss. Arnoldus Hvitfeld, quod mihi dono missum fuit exemplar per Alburgium nostrum, a me legendum acceperit), hi, inquam, vident sophisticatum, calumniarum et mendaciorum, h. e. artium Jesviticarum, plenissimum esse, et serio bonis omnibus ut tuum studium probatur, ita non potest non calumniatoris impudentia vehementer displicere. Attamen hoc est, quod de eo monere volui, quod et ipse sentio, et alios intellexi sentire quamplurimos, nihil plane tibi respondendum esse, quod quidem edendum arbitraris. Scimus equidem tibi facultatem respondendi non deesse, et Entellum te, istum Daretum pro merito, si congregederis, tractaturum, sed cui, inquit, bono? nisi ut hominem ad contexendam novam calumniarum farraginem irrites, cui si quis novam item parare velit apologiam, nullum litigandi finem futurum, nec te quicquam gratius toti sectæ facturum, quam si istam diu affectatam occasionem sycophantis illis de te præberes, et virus suum apud nos disseminandi confidentius, et genti nostræ ob mutatam, uti loquuntur, Majorum religionem audacius impudentiusque maledicendi. Silentio igitur illum contemnendum potius quam responsione lacesendum: cum præsertim apud superiores etiam ac ipsum denique Regem Serenissimum grave tibi futurum foret, si, rebus in religione semel constitutis, tu dicereris primus author certaminum in hæc Regna, quæ controversiarum hactenus nescia

fuerunt, attractorum. De his igitur cogitabis, et quanquam quid facto sit opus ipse pro tua prudentia absque me monitore facile perspexeris, non potui tamen, quin qualis mihi hac de re videretur hominum sensus, tibi breviter significarem.

Alterum est de Closterlassio, quem illi Patrem Laurentium vocant, qui hisce diebus, quod forte inaudisti, hic fuit. De eo res ita habet. Postquam Helsingoræ et alibi forsitan in hoc regno (nam et Malmogiæ dicitur fuisse, sed de eo non habeo quod asseverem) ad tres septimanas la-tuisset, atque interim clandestina suorum conventicula ha-buisset, ac missam insuper aliquoties celebrasset, quod utrumque post rogatus non negavit, sed de priore respon-dit, convenisse ad se salutandi causa, quibus in exteris regionibus bene aliquando fecisset, de negotio religionis nihil se quicquam cum quoquam contulisse, nec id posse probari — sic enim fere loquebatur —, de altero, se fecisse quod suæ esset religionis, nec se quenquam ea re offendere voluisse: Cum igitur his actis adventum suum anim-adverteret palam innotuisse, ejusque adeo famam ad ipsum Regiam Majestatem dimanasse, huc Hafniam se contulit, proximis ante Pentecosten diebus; et biduum fere hic com-moratus, die Veneris ante festum Magnifico Domino Cancellario inscriptas a se literas misit, quibus rationem redderet sui consilii et suscepti in Patriam suam itineris, quarum literarum exemplum ex ipsius autographo a me descriptum plenioris fidei causa mittendum censui. Quod ubi perlegeris, rem omnem facilius intelliges. Postridie ejus diei Cancellarius regem adit, P. Laurentii postulata exponit. Ibi Rex accepto utroque libro hominis impudentiam mirari, et breviter dicere, se de re tota deliberaturum. Deliberatur. Ipso die Pentecostes post preces vespertinas mandato Cancellarii nominatim jussi sumus in consistorium nostrum convenire nonnulli ad crastinæ diei horam sextam matutinam. Convenimus numero septem cum Universitatis Notario publico. Adest una Doctor Jonas Charisius Secre-

tarius Regius, Regiam voluntatem, nobis testibus, Patri Laurentio denunciaturus. Sed hic miser, nescio quid forte metuens, a Cancellario jussus tamen comparere sive noluit sive non ausus fuit. Scripsit autem ad Cancellarium alteras literas, quibus se de ista tergiversatione excusaret, quarum sententiam nobis Dn. Episcopus a Cancellario missus recitavit: P. Laurentium adesse istic loci nec posse nec velle; neque enim scire ipsum, quidquam juris in se esse consistorio nostro, cum nomen Academiæ nunquam dedisset, nec civis esset nostræ Reipublicæ literariæ. Se quidem ante annos 50 Scholam trivialem visitasse sub Præceptore M. Andrea Petrejo, sed inde digressum, mox se Societati adjunxisse in Suecia primum deinde in Germania. Cupere se saltem ad Regis colloquium admitti, sed id interim ipsius Majestatis arbitrio relinquere etc. Quibus recitatis nos tum quidem dimissi sumus. Rex vero, hoc audito, graviter indignari et edicere, ut vel sponte adesset, vel vi adigeretur. Convocamur igitur ad horam duodecimam. Adsumus omnes qui prius, et simul bonus Pater Laurentius. Ingressus primum visus est nobis nonnihil attonitus, quod suspicaretur forte, se non admodum gratum hospitem huc venisse, sed tamen recepto animo nos omnes ordine porrecta manu salutavit. Hic de iis, qui obiter contigerunt, nihil attinet dicere. Sed stans in medio Doctor Jonas, et ad P. Laurentium conversus: Missus, inquit, sum a Regia Majestate, ut tibi Domine Laurenti (hoc enim titulo solo ipsum compellabat, cum ab aliis interim collegis nostris Doctor Laurentius salutaretur), quid ipsius Majestas ad postulata tua respondendum mandarit exponam. Primo, librum obtulisti utroque idiomate latino et danico typis excusum. Deinde, et te ac tuam operam obtulisti in componendis dissidiis et unione procuranda religionis; tertio, literas petiisti salvi conductus proficiscendi porro in Norvegiam, privati cujusdam negotii tui causa. Ad hæc omnia simul Serenissimus Rex valde mirari, primum unde tibi homini Jesuitici ordinis et a nostra Religione alieno tanta animi

confidentia, ut in hoc Regnum turbandæ pacis et religionis gratia non sis veritus te clam primum ingerere, deinde palam nomen tuum et studium in eam rem profiteri. Et quanquam Majestas ipsius satis habeat causæ, cur exemplum secutus aliorum Regum et Principum in te ob seditiosas machinationes severe animadvertat: nihilominus tamen pro sua singulari clementia hanc tibi gratiam indulget, ut liceat tibi hinc salvo et incolumi ad tuos hac vice redire. Ad librum quod attinet ipsius Majestati oblatum, eum cum videat Papisticis et Jesuiticis doctrinæ cœlestis corruptelis ubique refertum, severe mandat, ut quotquot habeas ejus exemplaria, ea confestim omnia apud ipsius Majestatis Mandatarium deponas, et si quæ donasti aliis, ea item revoces, vel quibus donata sunt, indices, ut ab iisdem repeti possint. Operam tuam ac tui similium ipsius Majestas non requirit, sunt enim in hoc Regno, quæ ad religionem pertinent, Dei beneficio et ipsius Majestatis parentum ac laudatissimæ memoriæ Regum pietate, ita constituta, ut nullius egeant reformatione, nedum tua aut hominum tuæ sectæ, quorum consilia quorsum spectent, ipsius Majestas non ita est hebetis ingenii, ut perspicere nequeat aut judicare. Neque etiam non videt ipsius Majestas, quo prætextu iter in Norvegiam abs te fingatur, quod quidem idcirco tibi non modo non permittit, sed graviter insuper edicit, ut rebus tuis compositis, ad quod unius diei spatium tibi clementer largitur, te hinc mox facessas et toto Regno excedas, nec quicquam in via tentes, quod videri possit cum violatione pacis aut pernicie subditorum conjunctum. Quod quidem ut ne fiat, adjuncturus est tibi comitem itineris, qui te deducat, et molitionibus tuis, si sit opus, adversetur. Quæ cum copiose exposuisset, conversus ad nos: Hæc sunt, inquit, Reverendi et Clariss. Viri, quæ Regiæ Majestatis nomine huic Dn. Laurentio jussus sum denunciare, vobis præsentibus et audientibus, partim, ut de studio Sereniss. Regis in tuenda pace et religionis puritate testimonium hoc apud vos extaret, partim, ut homini præriperetur calum-

niandi occasio, si forte Regiam voluntatem, vobis testibus, sibi expositam præter mentem Sereniss. Regis, quod suscipari licet, aliquando velit interpretari. Hic responsurus P. Laurentius cœpit suam erga Majores pietatem et studium in Patriam commemorare, et protestari de honesto suæ voluntatis instituto; se longe quidem aliud responsum expectasse, sed bene habere; se in voluntate Sereniss. Regis acquiescere, venisse se cum Cæsareæ Majestatis, et Hispaniæ, Galliæ ac Poloniæ Regum literis commendatitiis, nihil sceleris in patriam animo concepisse, nihil in perniciem Regis aut subditorum Regni cogitasse, nec quicquam commisisse, quod severiore animadversione dignum esset. Libri exemplaria quatuor tantum apud se habuisse, quorum unum, sed lingua geminum, Serenissimo Regi, alterum Cancellario, tertium Doct. Resenio donasset, quartum vero M. Jonæ destinasset, quod tamen is non accepisset. Brunserga habere se plurima exemplaria, quæ posset per totam Germaniam distrahere et disseminare. Iter suum ad edictum Regis hinc maturaturum, nec quicquam contra tentaturum. Hic a Doct. Jona de itinere interrogatus, respondit, se terrestri itinere Hamburgum iturum esse. Pauca præterea ad alia interrogata respondens, nutu capitis nobis salutatis abiit. Postea commodius ad securitatem Proceribus Regni visum, ut navi Rostochium mitteretur. Mansit igitur hic, vento contrario detentus, triduum. Nam die Veneris, qui 13. fuit mensis hujus, summo mane conscensa navi discessit.

Hæc est Historia Laurentiana, quæ utinam tibi non afferat plus tædii quam voluptatis. Mihi certe digna videtur, cujus memoria multis de causis conservetur. — Rumor apud nos spargitur, sed incerto authore, ditione Venetæ exactos nuper Jesvitas esse; quicquid sit, non diu latere potest. — Serenissimus Rex noster Feria III Pentecostes, sublatis anchoris, iter Anglicum ingressus est, in comitatum sibi ascitis ex collegis nostris Dn. D. Resenio et M. Jona. — M. Ivarus, item collega, die Veneris e portu

solvens exulatum abiit, eo tandem adigenti ipsum extremi juris executione, secundum fratrum suorum instantiam et procurationem. Sed nimis te diu detineo. Hæc autem placuit significare, ut et tu certi aliquid de nostris rebus teneres, et ego meam tibi voluntatem hoc qualicumque scribendi officio declararem. Bene et feliciter vale (etc.). Hafniæ d. 4 Julii (die 16 Junii scriptæ missæ) 1606.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

19.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Rev. et cl. vir etc. Redditæ sunt mihi per famulum tuum literæ tuæ doctissimæ pariter et humanitatis ac benevolentiae erga me plenissimæ. Ad quas cum aliquid sit mihi respondendum, æquum est, ut mox initio beneficentiæ tuæ et eximiæ liberalitatis tam mihi quam uxori meæ præstitæ mentionem faciam, ejusque gratam memoriam perpetuo me conservaturum verbis saltem aperte protestor, si re nequeam declarare. Sed et verbis nihil possum amplius, quam gratificandi studium et animum ad quævis tam boni amici quam memoris beneficiarii (ut isthoc utar verbo castrensi) officia et, vere dicam, servitia, sponte paratum ac promptum polliceri. Nec minores tibi gratias agi per me voluit venerandus Dn. Socer meus pro munere sibi misso: qui, quod eo biduo, quo hic famulus tuus substitit, occupatus esset procurandâ sacrâ initiatione filioli sibi recens nati, mox commode conveniri non potuit. Ista igitur curatione liberato utrumque scriptum tuum cum literis tuis ad me ostendi, qui, inspecto utriusque titulo: Istam, inquit (de Apologia), suppressi melius est quam edi; hanc quid magis vetat (de Oratione) excudi quam priores? sed legam et cogitabo diligentius. Sic enim respondit, et iisdem plane verbis. Quid vero cogitaverit et quid suadere velit, deinceps data occasione exquiram, et ad te perscribam primo quoque tempore. Exquiram, inquam, eo curiosius, quo magis animus ejus propediem novis curis distrahetur

in præparandis nuptiis filiæ suæ Helenæ, quæ circa Dionysii celebrabuntur cum M. Nicolao Sinningio, Pastore nostro ad D. Virginem: ne propterea res tota quam expediat diutius differatur. Et tum simul quicquid interim ab reliquis etiam Dominis Collegis meis potero expiscari, aut quavis ratione aliunde odorari, præsertim de Apologia edenda vel supprimenda, copiosius significabo. Nam de Oratione, neminem fore scio, qui secus sit sensurus. De qua sufficit abunde iudicium vel Dn. Episcopi solius, utut cæteri non conveniantur. Sed fiet tamen.

Mitto tibi inspiciendum, et, si placet et vacet, ad tempus aliquod evolvendum exemplum libri Laurentiani Regiæ Maiestati oblati. Quod exemplum ipse secreto utendum accepi ab eo, cujus nomen fronti ascriptum est. Quo obiter percurso, hominis sat scio insignem impudentiam magis miraberis, partim quod ausus sit ista papistica tam nuda et nullo colore (quod suspicabar) fucata Serenissimo Regi proponere, et ipsius Majestatis laud. memoriæ parentes tam aperte hæreseos insimulare; partim quod (uti prius ad te scripsi) 4 se tantum exemplaria habuisse manifeste mentitus sit, cum constet eum aliquammulta non latina solum inter litteratos, sed danica etiam inter plebejos ac mulierculas sparsisse; quæ tamen occulta habentur omnia a possessoribus, ne quid illi sinistri de se suspicandi occasionem bonis viris præbeant. Et hæc quidem sunt, quæ breviter volui et potui. Plura propediem expectabis. Te et Deo opt. max. ac familiam tuam universam commendamus, et salute plurima officiosissimaque imperitimus. Hafniæ 16 Aug. 1606.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

20.

M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

Salutem etc. Perlectis literis tuis, quas mihi heri summo mane reddidit Famulus tuus, Dn. Episcopum nostrum mox conveni, ut si quid de Oratione et Apologia tua

vel cogitasset ipse, vel de hac præsertim a Magnifico Dn. Cancellario accepisset, id mihi significaret ad te perscribendum. Ibi tum ille mihi monstravit et Apologiam et literas tuas, pridie ejus diei a Cancellario sibi missas, a quo simul retulit sibi mandatum, ut aliquantisper expectaret, quod nimirum per otium cuperet cum ipso de toto negotio colloqui et conferre diligentius. Hesterna vespera ad cœnam a Dn. Cancellario vocatur, ubi post diutinam deliberationem sic Dn. Cancellarius consilii sui sententiam breviter tandem explicavit: Videri sibi nihil omnino abs te respondendum; quod ut honeste fieret, se Regias ad te literas procuratorum, quibus tibi certis de causis silentium injungatur; et in iisdem simul literis Regiam Majestatem luculentum et diligentissimæ administrationis officii et honestissime actæ vitæ testimonium de te perhibituram, ut ita sit nihilominus, quod non huic solum calumniatori, sed et toti isti syco-phantico ordini et aliis quibuscunque, si qui vel silentium tuum secus interpretari, vel famam alioquin impetere forsitan velint, opponatur. Et hæc quidem de Apologia, quæ mihi hodie mane Dn. Episcopus significavit.

De oratione satis est approbationis ab ipso Dn. Episcopo, cum si reliqui vel gravarentur vel otium ad legendum postularent, editio differenda diutius videretur. Agam igitur cum Typographo de 300 excudendis, primo quoque tempore. — De itinere Anglicano nihil plane in vulgus emanavit. Sæpius inter se sunt Reges remotis arbitris collocuti. Magnificentiam et splendorem apparatus, quo et excepti sunt et habitus ac tandem dimissi nostri, non possunt satis prædicare. De cæteris nihil. Hæc scripsi, quæ famulus tibi afferret, cum reliqua tibi sint per Otthonidem expectanda. Bene et feliciter vale et vive, ab Episcopo nostro et me simul atque uxore peramanter et officiose salutatus. Hafniæ die 4. Sept. 1606.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

21.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Salutem etc. Significavit mihi Henricus Bibliopola noster, se iter ad vos habere. Commode igitur facturum arbitrabar, si exemplaria orationis tuæ a se excusæ secum ipse afferret, atque ita simul coram ageret tecum, tam de chartæ pretio, quam mercede operarum. Meo autem jussu reliquit apud me 20 exemplaria, quæ compacta donari poterunt viris doctis et nobiles quibusdam studiorum nostrorum amantibus, modo id tibi intelligam placitum. Neque enim video, cur non debeat, ut habeas plures et certiores industriæ tuæ testes et voluntatis approbatores. Remitto etiam Apologiam tuam, multo mehercle mitiorem et modestiorem, quam pro merito calumniatoris, sed ea tua laus est¹). Novi apud nos nihil est, nisi quod ferant, M. Joh. Canutium, Pastorem ad Divi Nicolai, designatum Episcopum Fionensem in locum M. Jacobi nuper defuncti. Quæ sunt ex Nundinis Francofurdensibus ab Henrico cognosces. Bene et feliciter vale (etc.). Hafniæ 14. Octbr. 1606. J. S.

22.

Ad M. Magnum, Episcopum Lundensem.

Salutem etc. Nudius tertius ad te scripsi, cum illuc Henricus noster Typographus proficisceretur. Ne nihil autem nunc tibi Famulus tuus a nobis afferret, primum omnium et Dñi Soceri et meo et novorum conjugum nomine tibi maximas gratias agimus de misso amplissimo dono, quod honoris et commendationis ergo Dño Socero tradidi et videndum et novo genero suo tuis verbis offerendum. Legendas ille mihi exhibuit literas tuas, in quibus dimissionem a molestissimo tuo officio post tot annorum exantlatos in Scholis et Ecclesiis labores videris tandem

¹) I Gl. kgl. Saml. 1448. 4 findes Magni Matthiæ Superint. Scan. Apologia ad falsas criminationes Jacobi Schrøteri, præpositi Guotstadiensis.

velle a Regia Majestate petere, et ad exemplum aliorum impetrare. De eo negotio jussit Dn. Socer meus, ut, si quid ad te scriberem, una significarem, ipsum velle per occasionem et primo quoque tempore Magnif. Dn. Cancellarium convenire, et quid ejus Magnificentiae videatur tandem ad te, cum commode poterit, perscribere. Ego sane cum hæc cogito, et oculos per Daniam et Norvegiam circumfero, video intra paucos annos futurum, ut desiderentur, qui in vestrum locum suffecti Ecclesiis gubernandis præesse possint. Sed Deus providebit. Cui te et familiam universam commendo (etc.). Hafniæ 17. Octobr. 1606.

H. T. A.

Joh. Stephanius.

23.

Ad M. Magnum, Episcopum Lundensem.

Soceri nomine.

Salutem in filio Dei, unico sospitatore! Binas abs te literas habeo, Reverende et Clarissime Domine Episcopo, Frater et Collega carissime, mense Octobri proxime exacto ad me datas. Quo mense cum fuerim negotiis variis et occupationibus plus satis districtus, tum quia Magnif. Dn. Cancellarius, in sua ista invaletudine, de qua te rescisse opinor, non videbatur plus æquo molestandus, factum est, ut ad neutras hactenus respondere quicquam potuerim. Quod te quidem pro tua singulari humanitate mihi in optimam partem interpretaturum confido. Jam vero postquam et Magnif. Dn. Cancellarius est pristinae sanitati ita restitutus, ut de publicis simul et privatis rebus, si quid sit, in quo ipsius Magnificentiae consilium requiratur, conveniri non tam possit, quam velit etiam, quæ est summa viri excellentissimi facilitas, et mihi quoque per paucos hosce dies aliqua detur respiratio: faciendum omnino putavi, ut tandem aliquando quod de utrisque haberem, id ad te, oblata ista occasione, perscriberem. Ac priores quidem quod attinet, primum illud merito tuo fiet, si tibi a me maxime et agantur et habeantur gratiæ, non tam pro misso filia meæ novæ

sponsæ dono perquam honorifico, quam pro pio voto, quo novis conjugibus fausta omnia et felicia precaris. Equidem id tibi de me polliceor, gratam me hujus tantæ benevolentiae memoriam perpetuo conservaturum. Deinde, quod de in-gravescentis paulatim ætatis incommodis et virium in isto tuo senio defectu quereris, ea agnosco et credo facile verissima esse, idque eo magis, quo et ipse, non multo sexagenario minor, indies sentio, pristinum in me vigorem attenuari, et inde in officii molestissimi administratione alacritatem nonnihil minui, meque curandis muneris mei negotiis paullo nunc plus quam antea percipere difficultatis ac defatigationis. Quod tu autem idcirco consilii cepisti de petenda tandem dimissione, et quibus conditionibus, id ego tuis verbis Magnif. Dño Cancellario prolixè exposui. Ac visa est mihi ipsius Magnif. non mediocriter mirari, te eo ætatis processisse, ac posse etiamnum qua deceat fide ac industria gerendis per diœcesin tuam tam amplam rebus præesse. Ad summam autem petitionis tuæ hoc fuit ipsius Magnif. consilium, quod tibi putavit per me significandum, expectandum tibi adhuc paulisper esse, ad minimum per semestre; Regiæ Majestati crebro in ore esse mutationes, quæ brevi tempore acciderint variis in locis, Episcoporum: haud sciri posse, quam in partem ipsius Majestas esset acceptura, si hoc nunc novum exemplum tam subito cæteris adjungeretur. Ubi inveteraverit sermo iste et exoleverit, tum te magis oportune et petiturum, quod cogitas, et facilius impetraturum. Quod consilium si fueris, uti non dubito, secutus, et meam operam aliquando vel hac in re, vel in alia quacunque utilem tibi futuram existimaveris, eam tibi spondeo nequaquam defuturam. Et hæc quidem ad priores. — In alteris proponuntur abs te capita quædam, de quibus in causa oppressionis infantium edoceri cupis, ut habeas, quod porro Præpositis respondere queas, qui te non dubitant ejusmodi non magni momenti quæstiunculis suis subinde defatigare. De his item Magnif. Dn. Cancellarium consului, qui, cum risu, ut quod res est ingenuè fatear, ea excepit, miratus

insultatam Præpositorum, qui Regia Ordinatione non contenti, ne literis quidem Regiis (de quibus nihil quicquam ego prius inaudieram) satis insuper instrui potuerunt, ut quid agendum sibi in eo casu esset, secum ipsi adhuc statuerent et deliberarent. Sensit igitur ipsius Magnificentiæ, sequendum, quod proxime videretur ad sententiam Regiarum literarum accidere, non violata interim Ordinatione, modo constaret oppressionem invitis parentibus contigisse, et non prætextu, oppressionis manifestum homicidium vel parricidium potius occultari. Atque hæc sunt, quæ respondere et potui et potuisse me lætor, ita varie animo distracto et occupato. Nam post biduum D. v. jussu Regiæ Majestatis iter in Fioniam sum ingressurus cum clariss. Dño M. Johanne Canutio, ipsumque ibidem in Episcopi defuncti locum, quod Deus fortunet, inauguraturus. Bene et feliciter vale (etc.). Hafniæ die 9. Novembr. 1606.

P. Winstrupius S. S.

24.

Ad M. Magnum, Episcopum Lundensem.

S. Rev. et cl. vir, fautor et amice honorande. Binas mihi litteras tradidit venerandus Dn. Socer meus jamjam iter Fionicum ingressurus, ad te per occasionem transmittendas, cum aliquandiu ipse frustra expectasset mittendi oportunitatem. Alteræ sunt ab ipso, quibus, uti ajebat, tibi ad tuas utrasque respondet. Alteræ vero exemplum continent regiæ consultationis de exorcismi abrogatione propositæ cum professoribus facultatis theologicæ in Academia nostra tum universis per Daniam episcopis. Quod exemplum ex originali descriptum a publico universitatis notario et sigillo facultatis theologicæ obsignatum, eandem fidem apud te et collegas episcopos quam ipsis regiis literis tribuere velletis, obtinebit. — Dn. Episcopus noster, quid de re sentiat, satis superque tum declaravit, cum regio mandato obtemperans ut in ceremonia libera et adia-phora ipsius Majestatis filiolum absque exorcismo baptizaret. Dn. Doctor Dybvadius sese opponit sed frustra, nam quic-

quid ab eo est, id ut ab homine non satis sani iudicii plane contemnitur. Dn. D. Resenium valde miror tergiversari. Qui scripto etiam, sed non edito, suam sententiam complexus duo argumenta pro exorcismo retinendo tractat: I. Quod nitatur fundamento religioso. II. Quod habeat usum salutarem. Atque ita, cum Regia Majestas jam putaretur aliter persuasa, conatum illum abrogationis abjecisse, de novo præter quorundam expectationem incipit urgere, ut sibi a theologis et episcopis firmi aliquid et solidi respondeatur. Qua occasione factum, ut nunc tandem post exactos septem integros menses et amplius theologi episcopos in consilium, missis regiarum literarum exemplis, censuerint adhibendos. Quicquid responsum fuerit, serenissimus rex propositi tenax exorcismum omnino mandabit aliquando abrogandum, cum præsertim in publicis comitiis mense Martio celebratis senatores regni de eodem negotio a rege interrogati, aliis aliter, prout quisque judicare poterat, respondentibus, in eam sententiam tandem ab omnibus itum est, ut abrogationem non valde viderentur improbare, si modo res ordine ageretur, et prius consulerentur religionis antistites, theologi videlicet Academiæ et Episcopi regni. Hæc habui, quæ tibi velut in aurem significanda duxi, sperans meum studium, a voluntate sincera profectum, tibi non prorsus displiciturum. Vale felix et corpore atque animo sanus, ex me et mea plurimum et officiose salutatus. Hafniæ 19. Novembr. 1606.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

25.

Dn. M. Magno Matthiæ, Episcopo Lundensi.

Reverende et clarissime vir, fautor et amice honorande. Heri ad me venit petiturus meum de se testimonium Absolon Olai f., cum simul significaret, se ad munus ecclesiasticum apud vos vocatum esse. Eam arbitratus occasionem ad te scribendi nequaquam negligendam, venerandum Dn. Socerum meum adii, ut si quid esset, quod

ad te vellet, præsertim de consultatione tua ¹⁾, id vel ipse vel per me tibi literis perscriptum significaret. Respondit igitur, se Magnifico Dn. Cancellario scriptum illud tuum exhibuisse, neque adhuc ipsius Magnificentiam de eo seorsim suam sententiam aperte declarasse; saltem dixisse, hoc sibi videri commodissimum, et Regiæ Majestati gratissimum fore, si una componatur omnium consensu brevis et certa atque solida forma responsionis, qua et suæ voluntati omnino satisfactum existimare, et in qua acquiescere ipsius Majestas citra hæsitacionem queat. Deque eo deinceps cogitandum etc. Et hæc quidem hac vice. Si quid alias resciero amplius, faciam te de eo certiozem.

Quod reliquum est, exposuit mihi Absalon mutationem factam nuper apud nos, vocato ad ecclesiæ ministerium ludi vestri rectore. Quod si ipse videri poterit idoneus illi successor, instituetur apud nos mense Aprili proximo promotio Magistrorum, ut tum una cum Malmogiensi et Viburgensi gradum eum petere et suscipere a facultate nostra possit. Qua de re pro tuo judicio statues, quod studiis discentium noris maxime profuturum. Vale vir humanissime salvus et sospes, a Dn. Socero meo et me pariter peramanter et officiose salutatus. Hafniæ die 3. Martii 1607.

H. T. A.

Johannes Stephanus.

26.

Ad M. Magnum, Episcopum Lundensem.

Salutem etc. Literas tuas postremas, quas reddidit mihi Otthonides noster, Dño Socero meo legi; lectis autem, ille: Imo vero, inquit, habet me *ὁμώψηρον*, sed placet interim gravissima commonefactio, quam subjungit de vitando scandalo. Neque enim aliter tuam sententiam accipit, quam quod existimes Exorcismum ad substantiam Baptismi non pertinere, itaque omitti posse, siquidem ita summo Magistratui videatur. Sed tamen putare te diligenter dispicien-

¹⁾ Nemlig om Exorcismen.

dum, quid fieri conveniat, et factum nunc ex usu esse possit. Mitto tibi legenda varia de hac ipsa re documenta. De Doctore Dybvadio aliquid intra paucos dies audietur, qui hodie per me et M. Chr. Longomontanum citatus est, ut cras ad horam 8. in consistorio nostro rationem reddat earum thesium, quas per hosce annos proximos publicavit, in quibus Sereniss. Regia Maiestas esse putat quædam, quibus ipsius Maiestas notetur et aliquo modo lædatur. Donet ipsi Deus meliorem mentem. Nam sunt qui omniantur, nescio quid. — Non ero longior, neque enim possum, nam incumbunt mihi quædam hoc die necessario expediunda. Bene et feliciter vale (etc.). Hafniæ die 20. Martii 1607.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

27.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Rev. et cl. vir, Fautor et amice plurimum honorande. Quia mihi nunc datur nonnihil respirationis a multiplicibus molestiis, quas nobis hisce potissimum diebus exhibuit Studiosorum quorundam insignis petulantia et contumacia plus quam beluina, imo pene diabolica; faciendum omnino putavi, ut aliquid ad te huic Erasmo darem. De gratulatione igitur tua et voto, quæ mihi de veteri tua erga me benevolentia luculenter testari possunt, magnas tibi ago et habeo gratias. Orationem tuam legendo percurri, et video eam erudite de ceremoniis ecclesiasticis disserere, ut utiliter omnino edi posse censeam. Verum quia semper expertus sum simplicem ingenuitatem meam tibi non displicuisse, etiam hoc tempore optima tua de me opinione fretus, orationem remitto duabus de causis. Unâ, ut titulus ei abs te præfigatur, quemadmodum cæteris, qualem videlicet et argumento et circumstantiis aliis convenire maxime existimaris. Alterâ, ut cogites, annon videatur aliqua seorsim et expresse facienda mentio institutionis celeberrimæ de agno paschali ceremoniæ, propter memorabilem de Paschate christiano significationem et locum Pauli 1 Cor. 5,

7, analogiam cum institutione cœnæ dominicæ in N. T. Sed hæc ipse longe me melius judicaveris. Ubi remiseris, fiet a me secundum voluntatem tuam, quod fieri conveniet. Nam correctionis labor nullus mihi erit, imo vero placebit ea re occasionem mihi præberi diligentius iterum atque iterum eruditam et disertam de rebus utilibus commentationem perlegendi. Interim conveniam typographum, tentaturus, an suis eam sumptibus accipere velit excudendam. Et spero facturum, donatis tibi aliquot exemplis. Sed et illud submoneo quoque, recte mihi videri abs te factum, quod de Exorcismo nominatim nihil dicas. Nescio enim, annon scrupulum aliquem injecerit animis quorundam, etiam ex superioribus, acris illa et vehemens D. R(esenii) defensio, quæ quotidie quavis occasione magis magisque urgetur, adeo ut cum exempta essent ordinationi Ecclesiarum Norvegicarum verba illa: *Far her vdt etc.*, nobis, qui revidebamus ante editionem, approbantibus omnibus, præter illum solum, jam videam tamen rursus permissu superiorum inserta esse. Excudendam suis sumptibus curavit Claudius Martini Regni Scriba, qui nunc in Norvegia est in comitatu Regio. Exemplum secum asportavit omnia, ut nulla hic, quod sciam, prostent. Evolvi tamen commodato acceptam a Venerando Dño Socero meo. Et sunt hæc, quæ hoc tempore breviter volui et potui (etc.). Hafniæ 31. Jul. 1607.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

28.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

R. V., F. & A. plurimum honorande. Nolo tibi molestus esse nunc occupatissimum cum aliis rebus tum præsertim honesta filiæ tuæ procuranda elocatione. Mitto orationis tuæ excusæ exemplaria 250 (de totidem enim mihi cum Typographo convenit) exceptis 20, quæ in Professores et alios sunt ex more distributa. Hanc autem orationem noluit omnino recipere excudendam Henricus alia conditione quam priores. De ratione impensarum prima quaque occasione

ipsius schedà edoceberis. Plura alias. Cum his vale sospes et felix (etc.). Hafniæ 11. Septembr. 1607.

J. S.

29.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Salutem etc. Hac scriptione neutiquam fuisset opus hoc tempore, si quod jam ante nobis deliberatum erat de nostra in nuptiis filiæ tuæ præsentia, nulla fuisset calamitate interturbatum. Obiit enim ante duas septimanas frater uxoris meæ, puer quatuor annorum, et, quod parentum dolorem magis auget, obiit sub cura cujusdam Agyrtæ et Seplasiarii, cui forsitan imperito, quod ex eventu nunc colligunt, nimis inconsiderate illum commiserant secandum. Non possumus igitur honeste, quin condolentiam aliquam nostram, si sic liceat *συμπάθειαν* appellare, externis etiam ritibus ostentemus. Animo tamen et votis præsentibus vobis erimus, conjugium felix, faustum et sæcundum novis sponsis a Deo opt. max. serio precaturi. Quæ mittimus autem sponsæ munuscula hic inclusa, ea cum speremus tua commendatione fore gratiora, reverenter et officiose rogamus, nobis operam tuam in offerendo velis accommodare. Quod ipsum quoque peramanter petit, misso poculo argenteo, venerandus Dn. Socer meus, cui, post hodiernam disputationem (cujus mitto Theses), vix pranso mox Roschildiam eundum fuit. Nec addam plura, quibus tibi major importune molestia creetur (etc.). Hafniæ 16. Septembr. 1607.

Joh. Stephanus.

30.

Ad M. Magnum.

R. V. (etc.). Si tempus pateretur, haberem ex commemoratione uxoris amplissimam tibi tuisque gratias agendi materiam. Sed mitto illa. Jam jam ad me venit hic Petrus Olai, instructus binis Reg. Maj. literis, unis Præsidi Arcis Helsingburgensis et tibi, alteris vero Brostrupio Gieddæo inscriptis. Quid sibi illæ velint ipse facile conjicere potes. Voluit Petrus occasionem sibi esse et aditum per me ad

colloquium tuum parari. Si quid homini poteris commo-
dare, absque tuo incommodo, spero te id haud gravatim
mei etiam intuitu facturum. Nec plura ipsius festinata
abitio permittit. Hafniæ 12 Octobr. 1607.

H. T. A.

Joh. Stephanus.

31.

Ad M. Magnum Matthiæ, Episcopum Lundensem.

Clarissime Vir, Fautor et Amice perpetuum honorande.
Perlectis literis tuis, quas mihi reddidit Petrus vester
Nicolai f., mox Dñum Socerum meum, Venerandum Dn.
Episcopum adii, ipsius sententiam et consilium post dictam
tuo nomine salutationem de utroque negotio abs te pro-
posito, exploraturus. Ac respondit ille mihi perbenigne, de
priore quidem, se nunquam sensitse, Magnif. Dn. Cancel-
larium sinistri quicquam de te aut tuæ voluntatis illa signi-
ficatione suspicatum, sed multo magis tuam in Ecclesia
Christi partim docenda partim gubernanda tot jam annos
præstitam fidem atque industriam sæpe etiam cum admira-
tione ipsius Magnificentiam collaudasse, quin et hoc om-
nino apud animum suum constituisse tum, cum ea res ip-
sius Magnificentiæ primum indicaretur, Te, quamdiu posses
aliqua ratione per valetudinem, et ætatis ingravescentis
imbecillitatem, officio isti præesse, plane non esse remo-
vendum. Existimare enim id ad tuum honorem etiam de-
functi pertinere, si, Deo annuente, et officio et vita simul,
cujus haud ita longe terminus abesse queat, defungereris.
Et promisit tamen Dn. Socer meus, se prima quaque ac
commoda occasione adhuc Magnificum Dn. Cancellarium
de eo monitum, ut tibi idoneus aliquis, siquidem ita vide-
atur, vel successor substituatur vel *σύνεργος* adjungatur. Sed
sperat interim in comitiis futuris, vos uberius ea de re
coram collocuturos. De quibus quid factum sit opus in ne-
gotio communi Electionis Filioli Regis (quod alterum erat
in literis tuis, de quo cupiebas edoceri) suum exemplum
tibi, si placeat, censuit imitandum. Ipse enim, de consilio

et voluntate M. Dn. Cancellarii, nulla speciali scriptione invitatus, sed generali tantum mandato Regio pariturus, conventum indixit omnium hujus suæ Dioceseos Præpositorum Roschildiæ habendum feria quinta Resurrectionis Christi. Ibi tum, præmissa debita causæ publicæ commendatione, Præpositos omnes hortabitur, ut se præbeant obsequentes; et domi convocatis singuli Provinciarum suarum Pastoribus, instituta deliberatione, Electionis futuræ confirmationem literis consignatam et sigillis de unanimi omnium consensu et approbatione testaturis munitam, huc primo quoque tempore transmittant. Quibus literis acceptis ipse porro Dn. Episcopus, ascitis sibi tribus aut quatuor ad summum Præpositis, in Comitibus comparebit, ad Regiam postulationem, si jubeatur, omnium suæ administrationis clericorum nomine, debita et humili subjectione responsurus. Et hoc quidem est, quod se partim fecisse, partim etiam deinceps ea in re facturum, mihi significabat; liberum interim tibi relinquens, utrum hoc imitari velis, an vero aliquid commodius invenire, quo Regiæ voluntati abs te satisfiat. Nec dubitat omnino, quin, quod intelligas cum æquitate, cum publico hujus inclyti Regni commodo ac emolumento, cumque omnium ordinum, in quibus et clerici numerantur, salute et prosperitate conjunctum, promptissimo sis animo executurus. Quod reliquum est, Petrum vestrum testimoniis ornatum ad vos remittimus. De meo in te studio nolim te quicquam dubitare (etc.). Hafniæ 22. Martii 1608.

J. S.